

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0293

0291

0297

0287

0302

0282

0342

0242

0392

0192

0792

281

Igitur dominus Balduinus rex quibusdam negotiis arduis requirentibus descendit a Jerusalem in Antiochiam, in qua existens in gravem incidit infirmitatem; qui mortem sibi sentiens imminere periculumque Berytum se deportari fecit. Ibi existens regni sui praelatos, sicut et principes, ad se evocari fecit, quibus in provincia sua constitutis fidem suam pie ac religiose articulatim aperiens, pontificibus peccata cum multa contritione confitens, aerumnis solutus ergastulo animam coelis intulit anno Domini MCLXVI. die 21. Februarii. Ejus corpus transportatum in Jerusalem et inter suos praedecessores in ecclesia dominici sepulchri sepultum est. Dicitur autem, quod in quadam medicina sibi venenum fuerit propinatum, quia residuum, quod regi sumere mandatum fuerat, pane infuso cuidam catello traditum statim mortua est. Tantam autem tristitiam in nullo regno pro morte alicujus principis exstitisse, nulla historia tradit. Fertur nihilominus, et hostes fidei de morte ejus doluisse, ita, ut quibusdam suggerentibus Noradino, Damascenorum regi, ut, cum christiani duces in multis essent occupati, fines nostros ingrederetur, dicitur respondisse: Compatiendum est et humane indulgendum justo eorum dolori eo, quod principem amiserunt, qualem reliquus hodie non habet orbis.

De sexto rege Jerusalem.

Domino Balduino rege Jerosolymitano defuncto successit ei in eadem civitate sancta Latinorum rex VI. Almaricus, frater defuncti regis, anno Domini MCLXIII., et regnavit XII annis in Jerusalem. Fuit autem hic Almaricus vir experientia saeculari praeditus, prudens admodum et in agendis circumspectus, modicae tamen litteraturae, sed ingenii vivacitate, memoriae beneficio satis commode instructus. Fuit etiam, quod negari non potest, pecuniae cupidus, supra quam regiam deceret dignitatem, sed in regni necessariis nec expensis parcebat nec proprii corporis fatigatione revocabatur. Fuitque in rebus bellicis strenuus, nam praecedenti anno regni sui Gorgontem Aegyptiorum ducem in proelio edita ingenti caede divinitus superavit, quo superato Alexandriam obsedit, quam Syracanus, Turcorum praefectus, Soldano per fraudem

Ende

Anfang